

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/o



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL.1.7.93/a

Book XI
I

NVMMORVM VETERVM IN ILLVSTRANDA IMPERATORUM ROMANORUM HISTORIA VSVS

Publico Programmate

HISTORIARVM ET ANTIQVITATIS CVLTORIBVS

ostensus

ab

HENRICO MEIBOMIO.

HELMETSADI,
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMI, Acad. Typogr.
Anno M DC LXXXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

NVMMORVM
VETERVM IN ILLV-
STRANDA IMPERATO-
RUM ROMANORUM
HISTORIA

VSVS

Publico Programmate

HISTORIARVM ET ANTI-
QVITATIS CVLTORIBVS

oferius

ab

HENRICO MEIBOMIO.

Typis Georg. Wolfgangi Hamm, Acad. Typogr.
Anno M DC LXXXV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

HISTORIÆ ROMANÆ ET ERVDITÆ ANTIQVITATIS STVDIOSIS

S. P. D.

HENRICUS MEIBOMIUS.

IMperatorum Romanorum Hiſtoria omnis, tum imprimis eorum, per quos ad ſummum faſtigium, ſubjugatis tot gentibus, deductum eſt imperium, magnitudine & varietate rerum geſtarum, inſigni virtutum, etiam vitiorum aliquando, exceſſu, maximis & ſubitis mutationibus, ita excellit, ut diligentiſſimè conſiderari, accuratè explicari, &, undique conquiſitis ſubſidiis, illuſtrari meritò debeat. Feci etiam id ante annos plures, inter initia Profeſſionis meæ, non ſine cura, & nunc denuo ad idem opus me accingam, diverſa tamen ratione & methodo, non temerè alibi uſitata, & in hac Academia inaudita. Scilicet Imperatoris cujusque res, fortiter & prudenter, bello & pace, geſtas, per capita quædam exponam, ad hiſtoriæ quidem exactam fidem, ſed breviter, ſcriptoresq; enarrabo, ex quibus peti plura poſſint, deq; illis diſſeram, & per quos eruditis amplisve commentariis optimè illuſtrati ſint, exponam, eosque oſtendam. Deinde ex NUMMIS illius ævi, hodieque ſuperſtitibus, tanquam indubitatis monumentis, adſtruam dictis meis fidem, & ipſorum illorum AUGUSTORUM, AUGUSTARUM, CÆSARUM, & totius penè Regnatricis Domus, imagines, ære, argento, auroque

II-1

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

majori incertum artificio, an fide, expreſſas ante oculos ſiſtam, reportatasque ab ipſis Victorias, actos Triumphos, domitos Reges, ſubactas Provincias, erecta Tropæa, Janum clauſum, Leges latas, Circos, Baſilicas, Theatra extructa, pleraque denique belli & pacis eximia opera, ex figuris elegantibus, & circumſcriptis verbis exponam.

MONETAM dici volunt Grammatici, & inter hos *Iſidorus Etymol.* l. 15. c. 15. *à monendo, quod nota inſcripta moneat nos Autoris & valoris*, ſed longè elegantius Rex Theodoricus ad *Caſſiodorum* l. VI. c. 7. *variarum* ſcribit: *liberalitatem noſtram alio decoras obſequio, ut figura vultus noſtri metallis uſualibus imprimatur, MONETAMq; facis de noſtris temporibus futura ſecula COMMONERE.* Monent certe nos plurima Veteres Nummi, quæ alias ignoraremus: illuſtrant infinita, ad quæ omnes cæcutimus: incredibili vero jucunditate litterarum & antiquæ elegantiæ ſtudioſos perfundunt. Id mirari ſæpe ſoleo, non fuiſſe Veteres in nummis qua colligendis, quâ examinandis æque curioſos & diligentes, ac ab uno alterove penè ſeculo nos ſumus; ipſos etiam Hiſtoricos rarius annotaſſe, qui nummi, quâve occaſione cuſi, quod tamen frequenter facit Illuſtris *Thuanus*.

Poſſit fortaſſis huc illud trahi de *Ære priſco*, apud *Tacitum Annal.* l. 4. c. 43. §. 2. ubi Meſſenii ad probanda ſua jura, *monumenta ejus rei ſculpta ſaxis & ÆRE PRISCO manere* aſſerunt: rectius tamen de ſtatuis aut tabulis priſcis id accipi arbitror, eo ſenſu, quo *antiqui æris tabulam Delphicam* nominat *Plinius* lib. 7. c. 58 Quod ſi vero provocare licet ad *malleolo & cælte literatum ſilicem*, ut eſt in veteri lapide apud *Gruterum* p. 329, *ſi inciſa notis marmora publicis* vim probandi habent, cur non ſint genuini Nummi rerum ſuo ævo geſtarum idonei & indubitati teſtes? Non intermittit tamen *Suetonius*, diligentiſſimus primorum AUGUSTORUM hiſtoricus, memo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

memorare, certis notis percussos ab illis nummos, quod in vita Augusti & Neronis observare licet; nummis, quorum meminit, hodieque sub illa forma superstitibus. Ex subsequutis Augustæ Historiæ scriptoribus *Flavius Vopiscus*, ubi de FIRMO agit, Fonteium scripsisse narrat, Firmum latrunculum fuisse, non Principem, sed mox subjungit: *Contra ego, mecumq; Rufus Celsus, & Cejonius Julianus & Fabius Sosianus contenderunt, dicentes, illum & purpura usum & PERCUSSA MONETA AUGUSTUM esse vocitatum, quin etiam NUMMOS ejus Severus Archontius protulit. De Græcis autem Ægyptiisq; libris confecit, illum* Αυτοκράτορα *in edictis suis fuisse vocatum.* Rectissimè. Et supersunt hodieque illius Nummi, cum Αυτοκράτορος & Σεβάστου nomine. Cur vero non simili diligentia usus est *Trebellius Pollio*, itidem Augustæ Historiæ scriptor, *Vopisco* ætate major? Cum enim ad SER. ANICIUM BALISTAM inter triginta tyrannos perveniisset, *scriptores inter se ambigere*, ait, *utrum imperarit*, nec audet dubium tollere, quod facile fuisset, si ad indubitatæ fidei monumenta, Nummos scilicet, cum Fl. Vopisco, cum Rufo Celso, Cejonio Juliano, & Fabio Sosiano recurrisset, & aliquis Severus Archontius ipsi eos exhibuisset. Extant enim Nummi BALISTÆ, cum Αυτοκράτορος, Σεβάστου, Augusti, nomine, & producit duos, alterum Græca, alterum Latina Inscriptione, eruditissimus *Adolphus Occo*, Medicus Augustanus. Ut non sine causa *temporum illorum segnitiem* incusat accuratissimus *Rupertus ad Besoldum.* Non vidit enim *Pollio*, qui vix quinquaginta à Balista annis sub Constantio vixit, Nummos illos, quos hodie post tot secula Recentiorum curiositas ostentat, quibusque dubia illius tollit.

Et vero in rebus sacris divinisq;, ubi intemerata veritas imprimis quæritur, non dubitarunt gravissimi Scriptores Nummorum testimonio uti. *Cælius Lactantius Firmianus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

Divinar. Inſtitut. l. 1. de falſa relig. c. 13. ubi ex ipſis Deorum gentilium hiſtoriis contra gentes diſputat, & errantis Saturni inopiam exponit, refugiumque ad Janum: *cujus*, inquit, *rei argumenta ſunt NUMMI VETERES, in quibus eſt cum duplici fronte Janus & in altera parte navis*, adducitque *Ovidii* verſus:

At bona poſteritas puppim formavit in ÆRE
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Quales ærei nummi hodie etiam in ſcriniis antiquariorum viſuntur. Illuſtris quoque Annalium Conditor Cardinalis *Baronius*, omnes Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ theſauros explicaturus, Nummos ſæpius inſignes à Fulv. Urſino, Lælio Paſqualino, aliisque ſuppeditatos adducit, & ex iis multam egregiam lucem rebus obſcuris affundit, nec temere in illis illuſtrandis, quod obſervaverim, aberrat, niſi ubi præjudiciis abripitur, ut Eccleſiæ Romanæ omnia, etiam noviſſima, faciat quodammodo antiqua. Ipſe quidem ad an. 363. n. 25. præclarè obſervat, in nummo Juliani Imp. in averſa ejus parte imaginem fœminæ ſedentis, & infantem in ſinu tenentis, non eſſe Virginis Deiparæ, quod Antiquario perito viſum, ſed Iſidis τροφὸς, ſeu nutricis, prudenterq; pariter & pie concludit: *abſit, ut Chriſtianam religionem velimus mendaciorum pigmentis illuſtrare.* Quis autem eum ferat, ubi ad an. 394. n. 10. effati ſui immemor, cum primò quidem ex Theodoreto, non ſatis certam hiſtoriolam de apparitione Joannis Evangeliſtæ & Philippi Apoſtoli adduxiſſet, illi firmandæ aureum nummum à Fulvio Urſino acceptum producit, in cujus una parte Theodoſius, in altera *Johannes* atque *Philippus* expreſſi ſint, *ſacerdotali habitu decori*, additque hæc verba: *Habes etiam ex his, lector, inter alia, unde antiquum ſacerdotalem habitum diſcas, ſimulq; tonſuram intelligas, atq; palliola humeros ac pectus decorè ambientia, votaq; nuncupata atq; multiplicata?* Quis, inquam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

inquam, ista admittat paulo peritior rerum talium? quis non acclamet Baronio, viro aliàs summo, ex Baronio: *absit, ut Christianam relligionem velimus mendaciorum pigmentis illustrari?* Recte enim advertit Clarissimus *Henricus Noris*, insigne hodie Hetruriæ decus, *in dissertat. de Numismat. Licinian. Licin. Aug. c. 3.* esse Imperatorum, Theodosii ac Valentiniani, imagines: Quem sequitur, eruditus Gallus, *Antonius Pagi in dissertat. de Consulibus Cæsareis.* c. 14. Nescio autem, an forte consulares habitus ignotos fuisse, & fefellisse *Baronium*; an Nimbum in capite illorum, Sanctis appictum ab Ecclesia Romana, de Apostolis suspicionem peperisse suspicari debeam? Posterius sane, quæ scilicet sit *Nimbi* illius, *qui Deorum vel Imperatorum capita, quasi clara nebula nubere, hoc est, tegere & ambire fingitur*, ut *Servius* loquitur in l. 3. Virg. ratio, discere potuisset ex *Laurentii Pignorii Mensa Isiaca* p. 46. quam illi inscriptam memorat *Tomasinus*. Jam enim ab Antonini Pii ævo nobilis ille orbis, Majestatis plus quam humanæ index, Imperatorum capitibus aliquando appingi cæpit, etiam Provinciis & Urbibus, ut ex figuris *Notitiæ Imperii utriusq;* passim apparet, imò avibus quoq;, æternitatis symbolis, ut Pavoni in Nummo Faustinæ, aut Phœnici in elegantissimo Constantini Camerariano nummo. *Cessisse autem ornatum illum insequentium Principum moderatione & tacito omnium consensu, Deo & Sanctis ejus*, scribit *Pignorius*, pertinetque huc illud *Isidori Hispalensis*, qui seculi VII. initio vixit, Etymolog. l. 1. c. 3. *Lumen, quod circa angelorum capita pingitur, nimbus vocatur.* An vero sub finem seculi IV, ad quod pertinet Nummus Theodosii à *Baronio* productus, jam tum moris fuerit, vel Angelis vel Apostolis, nimbum talem appingere, nec affirmaverim, nec negaverim. Uti nec certo possum dicere, quando desierint Impp. illo uti: seculo VI. adhuc sibi fecisse appingi, ex nummis eorum

disco.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

diſco. In elegantiſſimo Medallione æreo Conſtantis, quem ex Treverenſi theſauro producit *Joh. Jacob. Chifletius*, *in Anaſtas. Childerici Reg.* c. 17. figuræ apparent ſedentes, quarum media, major reliquis, ſola caput Nimbo Coronatum habet, quam eſſe Conſtantini M. exiſtimat *Chifletius*, duas reliquas ſine nimbo Conſtantem & Conſtantium : at *Car. Freſneus in diſſert. de Impp. Conſtantinopolitanorum nummis.* n. 3. Conſtantem eſſe exiſtimat, qui Medius ſedet, reliquos duos Conſules, vel Felicianum & Titianum, vel Urſum & Polemium, meminitque alterius Nummi aurei, in quo Conſules Conſtantinus & Conſtans pro tribunali ſedentes caput nimbo exornatum habeant, & n. 15. Nimbum illum in Conſularibus Nummis apparere ſcribit, & à *Mamertino in Panegyr.* Conſularis Dignitatis inſignibus accenſeri arbitratur. Juſtinum II. & Tiberium in uno nummo expreſſos, & Nimbo caput inſignitos exhibet doctiſſimus Amicus noſter *Carolus Patinus*, inter Impp. Roman. numiſmata ex ære med. & min. formæ. Et ipſe *Baronius* ad an. 395. n. 4. producit ex Cimeliotheca Fulvii Urſini nummum aureum, in quo Licinia Eudoxia, Arcadii conjux, nimbo caput ornata cernitur. Sed in viam, à qua *Baronius* abduxit, redeo.

Poſſem autem nunc pluribus exponere utilitatem illam omnem, quæ ex Nummis, erudita manu tractatis, in Hiſtoriarum & Antiquitatis cognitionem redundat, quamvis noviſſimis demum ſeculis ea deprehenſa fuerit, & cum gloriâ noſtri ævi hodie in cultioribus Orbis partibus, tot evidentibus exemplis, demonſtretur. Poſſem, inquam, id pluribus facere, niſi jam tum in doctiſſimis, & nunquam ſatis æſtimandis, diſſertationibus *de Præſtantia & Uſu Numiſmatum Antiquorum* Excellentiſſimus *Ezechiel Spanhemius* diſſertatione V. & ſeqq. oſtendiſſet, quanta etiam in omni Hiſtoria civili, & in Chronologia & in Geographia Nummorum Veterum utilitas ſit, & ita quidem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

dem, ut nihil addi vel à me, vel ab aliis posſit, ſi præſertim tertia editio prodierit, quâ, ut ſecundâ alios omnes in eo argumento, ita ſeipſum vincet, Vir ſplendidisſimis ad Reges Principesque legationibus non minus, quam incomparabili antiquitatis & elegantis doctrinæ notitia illuſtris, Muſas omnes per maria & terras ſecum ducens comites, à quo inſtillatum mihi primò Nummarii hujus ſtudii amorem lætus recordor, cum favore illius & amicitia ante viginti & plures annos Romæ, & in jucundo per Vetus Latium itinere, *circa nemus uvidiq; Tiberis ripas*, gauderem. Docet vero Idem ille, moralis & civilis ſcientiæ peritisſimus, ad utramque plurimum conferre Nummos, Romanorum præſertim, & eſſe eos, quaſi totidem Symbola aut documenta potius ad omnem vitæ uſum feliciter comparata, inque iis ipſas regnandi artes cum ſacris Cæſarum vultibus expreſſas cerni poſſe. Quod argumentum noviſſimè quoque perſecutus eſt *Gisbertus Cuperus*, Vir amplisſimus, illuſtrisſimi Fœderatorum Belgarum Ordinum Conſeſſus nobile membrum, ſingulariq; diſſertatione *utilitatem, quam ex Numiſmatis Principes capere poſſunt*, complexus, evicit,

Quod, quid ſit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non.
Plenius & melius Chryſippo & Crantore dicant.

Quo & illud pertinet, quod de Alphonſo, Aragonum & Neapolis Rege refert *Antonius Panormitanus l. 2 de dictis & fact.* Eum Numiſmata Illuſtrium Imperatorum, ſed Cæſaris ante alios, per univerſam Italiam ſummo ſtudio conquiſiviſſe, & in eburnea arcula religioſisſimè aſſervaſſe, teſtatumque, ſe illorum intuitu ad virtutem & gloriam quodammodo inflammari.

Occupato igitur jam ab aliis argumento, parcior ero, & non niſi pauca de uſu, in Hiſtoria Imperatorum Romanorum, delibabo. Equidem, ſi ſupereſſent hodie omnes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, quorum paucisſimi illi, qui ævi injuriam effugerunt, meminerunt, quorumq; verba adducunt, & plenè omnia ſcripſiſſe, & minima quæq; perſecutos narrant, plura ſine dubio ſciremus, nec tantæ eſſent in tam illuſtri hiſtoria lacunæ. Non quidem, quod M. Seneca de ſeculo ſuo, *deſiiſſe ingenia* dicam, ſed infelicitatem temporis accuſabo, per quam tot egregia monumenta perierunt, vix ſuperſtitibus Scriptorum nominibus, & reliquiis quibusdam, tanquam ex naufragio tabulis, quæ ſalivam tamen curioſis moveant. An enim vel toto illo ſeculo, ab Antonini Philoſophi exceſſu usque ad Diocletiani imperium, ullus eorum, qui Hiſtoriam Auguſtam Latinè ſcripſerunt, ſupereſt? Quam multi ex aliis perierunt ſeculis? aut optima & maxima ſui parte ævi injuria multati, tanquam tenues amplæ veſtis laciniæ, poſteris tranſmisſi ſunt? In tanto igitur Hiſtoricorum defectu, ad ſupplenda, quæ deſunt, rectè alia ſubſidia conquirimus, & ad Nummos quoque recurrimus, in quibus ſi non omnia & minutisſima (qualia tamen etiam in hiſtoria non habere locum, ſæpius monet *Julius Capitolinus*, quando *Ælii Cordi* frivolam λεπτολογίαν non uno loco perſtringit) reperire licet, illa tamen obſervare datur belli pacisque opera, quæ maximè illuſtria ad poſteritatis memoriam pervenire, perennaturo metallo ſignata, vel ipſi Auguſti, vel S. P. Q. R. voluerunt.

Sed ne quidem priorum Cæſarum hiſtoriam, quando adhuc Dionis, Taciti, &, qui integer ad nos pervenit, *Suetonius*, ſingulari diligentia & judicio, res eorum geſtas poſteris tradiderunt, ita notabilia quæque expoſita eſſe deprehendimus, ut non ex Nummis plurima addere liceat, quæ eorum diligentiam præterlapſa ſunt. De Coloniis per orbem terrarum ſub Imperatoribus deductis, re maximè memorabili, & ad origines urbium celeberrimarum & jura multum faciente; de Sacris templis & Aſylis, de Græciæ Aſiæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CEMAGL 1.7.93/1

Asiæque Civitatum sub Cæsaribus libertate, silent Historici, loquuntur nummi, & non tantum incognita nos multa docent de illis, sed & quædam ex Scriptoribus eo pertinentia, tenebrosa verò, sine hac luce, loca egregie illustrant. Est autem illud jam tum egregie ab Illustri *Spanheimio* ostensum, nec ego eleganter dicta huc repetam, & rudiori eloquio deteram. Id tamen præterire silentio non possum, solennia illa Urbium in Romano orbe pacta, quibus se mutuo obligarunt nobiliores, ad sui tutelam, commerciorum libertatem, & jurium conservationem, ab Augustæ Historiæ Scriptoribus nullibi memorari. An fugit illorum diligentiam id, quod celeberrimarum Urbium Rectores non tantum suo tempore innotescere, sed etiam publica fama didi, & ad seram posteritatem transmitti, expressa in Nummis facti memoria, voluerunt? An tantam rem ultro neglexerunt, & indignam memoratu judicarunt? Mihi quidem dignissima semper, cujus historiam ex superstitibus monumentis accuratè concinnarem, & referre mihi quodammodo illius Fœderis imaginem visa est, quod, HANSÆ TEUTONICÆ nomine, ultimis his seculis Europæum orbem fama implevit, cujus caput Patria mea, illustris LUBECA. Ut enim non inter proximas tantum, sed dissitas quoque civitates, neque unius gentis, sancitum est olim illud fœdus, illa concordia, ὁμονοια, ut in Nummis Græcis appellatur, permittentibus Cæsaribus, ut tali innoxia conjunctione se suaque urgente necessitate tuerentur: ita quoque commerciorum suorum, per terras, & maria imprimis, libertatem, tractis in societatem variis, & alio licet nexu Principibus suis obnoxiis, HANSÆ TEUTONICÆ urbes, ab HANSA id est, societate, collegio, nomen adeptæ, animis viribusque junctis tueri sategerunt. Possumus autem illius ὁμονοίας, nummis signatæ, exempla sub plurimis Impp. ostendere, cum Augustorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

regnantium, aut Auguſtarum quoque, imagines una parte nummi, ipſam vero Concordiam dextrarum junctarum ſymbolo in altera exprimerent. Et plerumq; quidem duæ tantum urbes id faciebant, interdū plures, quomodo Smyrnæorum, Pergamenorum, & Epheſiorum ὁμόνοιαι Antonini Pii; Epheſiorum, Pergamenorum, Perinthiorum Caracallæ nummus docet: planè, ut Teutonica Hanſa initium quidem, à fœdere duarum urbium, Lubecæ, & Hamburgi, A. CIↃ CC XLI. percuſſo, initium, acceptis vero ſucceſſu temporis in ſocietatem plurimis, incrementa ſumſit. Sed hac de re pluribus alibi agere decrevi; nunc illud monuiſſe ſufficiat, rem Annalibus dignisſimam, illis tamen præteritam, ex Nummis poſt tot ſecula in lucem protrahi poſſe.

Neque vero potuiſſent Romani illi Principes, terrarum Domini, aliud commodius medium æternandæ gloriæ ſuæ, cujus avidiſſimi erant, invenire his ipſis Nummis, per quos in omnes terras miſſi ſunt, ut præſentes ubique eſſe, & cerni poſſent, factorumque ſuorum magnitudinem apud ſeram poſteritatem explicare, &, ut hoc addam quoque, apud nos Germanos reportatas de majoribus noſtris victorias poſt plurium ſeculorum decurſus cum Tropæis depictis oſtendere. Equidem inter initia *Populus Romanus hoſtibus domitis victoriam non exprobravit, Domitiumq; Ænobarbum & Fabium Maximum* bello Allobrogico *ipſis, quibus dimicaverant, in locis ſaxeas erexiſſe turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus tropæa fixiſſe*, tanquam novum quid annotat Florus Lib. III. c. 2. placuiſſe tamen deinde, Victoriarum memoriam ad poſteritatem tranſmittere, tot ſuperſtites nummi docent, quibus Tropæorum imagines, ipſis illis ſaxeis turribus dudum licet abolitis, adjectis hoſtium nominibus, cernimus legimusque. Quid vero magnificentius, quàm ubi devictorum arma de trunco pendent, & ab una parte Victoria Dea coronam laureatam tenet, ab altera

victus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

victus hostis supplex jacet, ut in Severi nummo? quid glorioſius, quàm ubi Trajano ob magnam de Dacis & Parthis reportatam victoriam gratulatur S. P. Q. R. *& duo rapta manu diverſo ex hoſte tropæa*, mediumque inter ea Imperatorem, in nummo exprimit?

Quod ſi vero ad Pacis opera veniamus, mirandum eſt, illas magnificas ſtructuras, quas ad potentiam ſuam extollebant Romani Impp: illos Circos, *dignam populo gentium victore ſedem, nec minus ipſam viſendam, quam quæ ex ea ſpectabantur*, ut Plinii verbis utar: illa Amphitheatra, illas Baſilicas, Thermas, Arcus, Porticus, æternitati deſtinata omnia eam non tuliſſe, & partim ab *edaci imbre* & *impotente aquilone*, magis tamen Barbararum gentium furioſo impetu ſubruta, vix ſuæ magnitudini æqua rudera oſtentare, poſteritati fere ignota, niſi in Nummis, & figura illorum aliquo modo expreſſa, & memoria conſervata. Septimius Severus, optimus Imperator, nova ædificia extruxiſſe, & vetera reſtituiſſe, memoratur ab Hiſtoricis, & in uno nummo elegante Senatus ipſi RESTITUTORIS URBIS titulum eo nomine largitur. Nec tamen Operum Illius (Arcus enim, qui cum inciſarum victoriarum, tropæorum, terreſtris navaliſq; belli imaginibus hodieque ad clivum Capitolinum integerrimus omnium ſupereſt) præter Templum Junonis ſeu Mercurii, & quidem in Porticu paucarum columnarum, quicquam, quod ſciam, reſtat: in Nummis tamen adhuc Templi, Circi, Portusque memoriam conſervatam videmus. Veneris Erycinæ, & Jovis Capitolini templa, & Honoris ædem, & Baſilicam Æmiliam ex Nummis petenda docet Illuſtris *Spanhemius*, p. 577. 578. Et ubi eſt hodie nobilis illa BASILICA ULPIA? Habeo tamen elegantem nummum aureum Trajani (quem magnus ille veteris monetæ cenſor *Joh. Vaillant.* in Cimelio Illuſtriſſ. Harlæi etiam vidit, ſingularisque & eximiæ raritatis eſſe ſcribit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

l. 2. numiſm. p. 60.) in cujus averſa parte extat imago illius Baſilicæ, intuentiumque curioſos oculos paſcit.

Nec minus alia multa ad res geſtas AUGUSTORUM pertinentia, venerationemque, qua populi eos perſecuti, & honorem, quem in eos vivos, mortuosque contulit Senatus vel Succeſſores, teſtantia, docent nos Nummi, modo non vulgari, ſed elegantiſſimo pariter, & cõſiderantibus gratiſſimo, Ærei imprimis, qui majoris moduli & artificio majori elaborati, plus etiam reconditæ hiſtoriæ, quâ figuris, quâ verbis appoſitis patefaciunt. Id quod Hadriani Imp. nummorum ex ære exemplo, breviter quidem, ſed doctè exponit, *Carolus Patinus in Hiſtor. Numiſm. c. 18.* poſſet autem in aliis Impp. ſimiliter facili negotio oſtendi, imo jam factum id eſt ab iis, qui AUGUSTORUM Nummos publicarunt, & eruditis commentariis illuſtrarunt, *Æneas Vicus*, *Lævinus Torrentius*, *Hubertus Goltzius*, *Albertus Rubenius*, & nulli eruditione diligentiâque inferior *Triſtanus*, quibus addere licet, ut ut Indices tantum Imperatoriorum Nummorum nobis dederint, *Adolphum Occonem*, Medicum Auguſtanum, & *Johannem Vaillantium*, itidem Medicum, quem, deglutitis licet viginti aureis veteris monetæ nummis, cum à piratis jam jam capiendus eſſet, divina ſervavit providentia, captivitatisque & mortis periculo liberavit, ut ſupereſſe illuſtrandæ ex Nummis hiſtoriæ potuerit. Auſim vero hoc aſſeverare etiam, mutilam eſſe in multis illorum Impp. hiſtoriam, quorum deficiunt Nummi, ut in Cajo Caligula manifeſtum eſt, cujus ærea numiſmata poſt ejus mortem SCto conflari juſſa, memorat *Dio*.

Habent vero id etiam prærogativæ Nummi, ut, velut teſtes omni exceptione majores, in illis, quæ dilucidè explicant, plenam mereantur fidem, & quidem majorem omnibus Hiſtoricis, fraudis ſcilicet & malitiæ expertes. Quis enim eſt, qui neſcit, quantam diligentiam in illis,

flandis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

flandis, feriundisque, adhibuerint Præfecti Monetales apud Romanos, ſive in Provinciis Quæſtores, ſive in urbe Triumviri Quatuor virive? quos non tantum ſingulari circa materiam & pondus, ſed pari quoq; circa illud, quod impreſſum nummis, circa imagines, figuras, & circumpoſita verba, diligentia uſos, non tantum veroſimile eſt, ſed ex ipſis illis Nummis manifeſtisſimum. *Patinus*, ubi de Æreis, & litteris S. C. in iis appoſitis, agit, additam notam illam ſcribit, non ſeulement pourla ſeuretè du prix, ou la valeur de ſa matiere, mais auſſi à cauſe del' autorité, qu' il donnoit aux repreſentations, qu' il faiſoit deſcrire.

Neque tamen dixerim, ita omnia, quæ in Nummis notantur, fidem mereri, ut non adulatio Senatus aut Præfectorum intervenerit, aut ipſi Principes Romani nimis magnifica de ſe ſignari fecerint, aut falſa, quod, Neronis aureum nummum intuitus, Alphonſus Rex indigne tulit, ut Æn. Sylvius narrat. Notus eſt aularum genius, nota calliditas, & vafrities. Qui, annotante *Tacito*, gentes, & in his majores noſtros, triumpharunt ſæpius quàm vicerunt; qui, ùt Domitianus, Germanos emerunt, habitusque illorum & crines in captivorum ſpeciem formarunt, ad vani triumphi imaginem: qui, ut Nero, ſpreta conſcientia, ut aſpectui conſuleretur, inania erexerunt Tropæa, cur non eadem quoque imprimere Nummis ſuis, variisque Triumphorum imaginibus decipere viventes poſterosque poſſent? Hæc tamen ipſos ita voluiſſe credi, & ea propter ita finxiſſe, ex ipſis Nummis diſcimus, ſuperatque hodie elegans Domitiani, in quo GERMANIA CAPTA, ſupplex & vincta jacet. Fiunt noſtro etiam ævo eadem, & non diſſimulantur tantum clades, ſed poſt magna prælia victus æquè ac victor πυρριαις inſtituit, & falſis relationibus cuſisque nummis victoriæ famam inanem propagare nititur. Quando igitur quoque in Impp. numiſmatibus Juſtitiam, Liber-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

Libertatem, Concordiam, Pacem, Tranquillitatem, Felicitatem, Abundantiam, Gloriamque ſeculi, & Reparationem temporum jactari cernimus, non habere fidemillis, citra ulterius examen, tenemur. Neque, dum in FAVSTINÆ AUGUSTÆ nummis toties PUDICITIAM legimus, falſum eſſe credere debemus, quod *Julius Capitolinus* eam *pudicitiæ fama graviter laboraſſe, nauticisq; & gladiatoriis conditionibus infamem fuiſſe* ſcribit, vel à *Juliano Cæſare* in Satyra eam injuria traduci. Et quamvis talia in Æreis quoque Nummis, Senatusconſulto percuſſis, legamus, cogitare debemus, eam fuiſſe temporum infelicitatem, quibus nec Ampliſſimus Ordo ſentire, quæ vellet, audebat, publicè verò adulari, & illos, PATRES PATRIÆ, qui unam cervicem habere Populum Romanum, quam præſcinderent, optabant, ſalutare cogebatur. Simul tamen id agebat prudens Senatus, ut ejusmodi Nummorum Inſcriptionibus, non quales eſſent Principes, ſed quales eos ſperarent, vellent, optarentve, poſteritati teſtarentur, & hoc pacto malos Imperatores ad ea impoſterum perpetranda, quæ neglexiſſent, exſtimularent. Quem quidem arcanum fuiſſe apud Romanos ſummas illas Poteſtates monendi modum, non ignorare nos ſinit *Plinius*, dum in divino Panegyrico: *parendum*, inquit, *eſt Senatusconſulto, quo ex utilitate publica placuit, ut Conſulis voce, ſub titulo gratiarum agendarum, boni Principes, quæ facerent, recognoſcerent, mali, quæ facere deberent.* Ut ſcilicet, *objecta virtutis imagine, improbi Principes emendarentur, probi proficerent, rudes inſtituerentur, admonerentur errantes, exſtimularentur oſcitantes, denique ipſi apud ſeſe pudeſcerent deplorati*, ceu in elegantiſſima ad Paludanum Epiſtola loquitur, rerum humanarum & aulæ peritiſſimus Eraſmus, dum illum modum, ſub ſpecie laudationis, Principes monendi, elegantiſſimè pariter & prudenter explicat.

Qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1

Qui possis, inquit, *scelesto Principi tum impunitius, tum acerbius explorare crudelitatem, quam si in eo clementiam prædices? quî rapacitatem, violentiam, libidinem, quàm si benignitatem, moderationem, castimoniam efferas, virtutem ut videat intabescatq; relicta?* Qui possis, addo ego, MESSALINÆ aut FAUSTINÆ melius exprobrare inexhaustam libidinem, quam si sub DEÆ PUDICITIÆ habitu in Nummis pingas? Interest vero publicè etiam, ut Regnantis vitia non manifestentur, sed dissimulentur, & de Principe semper, tanquam optimo, sentiant ii, quibus imperatur, etiamsi humana imbecillitas integrum eum vitæ esse non patiatur. Sed hæc quidem ad Senatum Romanum adulationis suspicione liberandum sufficiant. Utinam non ipsi Imperatores male consulti, non suo tantum seculo in Orbe terrarum, sed & hodie apud posteros in ipsis Nummis famam suam traduxissent. Vix sanè crederemus Historicis, illos Principes Romanorum, qui *regere imperio populos meminisse* debebant, in Circensibus aurigas, in theatris histriones, & passim citharædos egisse, nisi Caligulæ, Nerones, Commodi, expressis in Nummis habitu eorum & instrumentis, fædam quidem, sed certam, rei memoriam ad nos usque trasmisissent.

Neque etiam illud dixerim, Inscriptiones Nummorum ita esse indubitatæ fidei, ut non aliquando error sculptoris, litterâ omissâ, vel male positâ, vel numero depravato, sensum inverterit; quin admiserim quoq; id, quod notat eruditissimus Antonius Pagi, quosdam nummos *Pseudographos reperiri, quibus si fides adhiberetur, tota Imperatorum perverteretur historia, & quæ certissima, falsa haberentur*, differt. hypat. p. 33 Quî enim possit hîc omnis omnino error caveri? Quod si tamen Nummos cum aliis documentis, quibus nititur historiæ fides, conferas, ut cum Historicorum MStis codicibus, Diplomatibus, Inscri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

ptionibus: non tantum ibi æquè promptè, ſed longè facilius peccari poſſe, manifeſtum eſt, docetq́; quotidiana obſervatio, in illis ſæpius vel nomina vel numeros male annotatos, vel voces corruptas, aut omiſſas, legentes in errorem deducere. Multi vero etiam in Nummis creduntur eſſe errores, qui revera in illis Archetypis non ſunt, ſed à male pingentibus, legentibus, & interpretantibus dependent, dum litteræ detritæ oculos minus curioſos fugiunt: id quod illuſtrari infinitis exemplis poſſet.

Scio etiam à nonnullis ea de cauſa rejici plane & contemni hoc ſtudium, quod veteres illi Nummi rarius ita integri appareant, ut vel figuræ rectè conſpici, vel litteræ omnes legi poſſint, exeſæ plerumque & vetuſtate conſumptæ, uſuque attritæ. Verum, qui Regum Principumque Cimelia adierunt, & in illis ex omni metallo ſelectos Nummos contemplati ſunt, de ſumma plurimorum integritate aliter teſtabuntur. In multis vero, ex Ære, ipſa nobilis ærugo delectat, & ſemeſæ litteræ genuinitatem Nummi probant, æmulantisq́ue antiquitatem falſariæ manus fraudem minus timere jubent. Neque vero ita fugiunt oculos litteræ, ut non, ſi diligentius & irretorto lumine ipſa ductuum evaneſcentium veſtigia perſequaris, ſi non vitra tantum, ſed hiſtoriæ illorum temporum adhibeas microſcopia, ſi alios ſimiles Nummos apponas, omnia tandem capere & explicare aliis poſſis. Quod vero in uno eſt detritum, in altero eſt integrum; quod in aureis argenteisq́ue, utpote minoribus, ob tenuitatem confuſius eſt delineatum, id in æreis moduli majoris accurate expreſſum clariſſimè patet.

Objiciunt nonnulli etiam brevitatem, & hinc neceſſariò ſequi obſcuritatem contendunt. *Brevis eſſe laboro, obſcurus fio.* Nec negari poteſt, placuiſſe in ea ſibi imprimis Romanam gravitatem, & verborum ambitum inconvenientem hîc judicaſſe (ſecus ac hodie nonnulli in Medallionibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1

nibus, circumducto quidem latè, sed frigido sensu, faciunt) ut non sine causa falsitatis & novitatis suspectos habeant Antiquarii Nummos, qui longa verborum serie res gestas exponunt, ut illum CLAUDII Cæsaris, quem ex Alberti Bavariæ Principis Thesauro primus produxit *Occo*, & post illum alii, sed nonnihil variantem, aliunde descripserunt, nullo simili extante illius ævi cum tam longa inscriptione. Neq; vero illa, quæ plerumque per initiales literas & notas tantum quasdam proponuntur, morari possunt, nisi imperitum Antiquitatis Romanæ; alia vero rariora, ut quando M.R. Marciam gentem G.R. Germaniam, C.S. Cæsarem notat, aut, ubi sejunctæ à se litteræ & syllabæ sunt, & quædam in una, aliæ in aversa facie apparent, hoc eruditissimo seculò à clarissimis Viris explicata quoque sunt, & ad illorum exemplum facilius quoque alia intelligi possunt. Pauca certè obscura sunt iis, qui Musas amant, & cum antiquitate frequens habent commercium, & elegantes nuper editos commentarios diligenter evolvunt, cum singulari quasi fato huic eruditionis venustæ parti in omni Europa sese dedant summi Viri: si quæ vero sunt adhuc incerta & dubia, in iis tamen ingeniosæ conjecturæ nos delectant. De Figuris in aversa Nummorum facie extantibus, quas eleganter *Prudentius Hymn.* περὶ στεφ. *Ænigmata* appellat, major est quidem aliquando difficultas, non insuperabilis tamen, si cum circumpositis verbis figuræ, & cum illis historia Cæsaris, cujus nummus est, & simul ævi illius mores & ritus conferantur, & tamen nihilominus, etiamsi illarum ratio ignoretur; alia multa ex reliqua Nummi parte discere licebit.

Ut autem ex his omnibus expedire se melius & errores cavere quis possit, comparare sibi ipse Nummos Veteres, qui hanc accuratam historiam amat, debet, aut, si id negatum est, ad aliorum hujus generis Cimeliothecas aditum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

tum ſibi quærere, ut intueri ſæpius, & ductus minutisſimos ſect ari curioſo oculo, reponere aliquamdiu, & deinde recollect is quaſi ingenii viribus, nova meditatione accedere, & ita tandem eruere latens verum poſsit. Quamvis enim à duobus jam ſeculis Imagines Nummorum varii ediderint, laudabili diligentia, illorumque aſſurgere meritis omnino par ſit, nondum tamen eam adhibitam eſſe accutionem, quæ vel poterat, vel debebat, omnino fatendum eſt, plurimis adhuc in Scriniis magnorum Principum latitantibus, obiterque tantum ab illis, qui viderunt, memoratis. Dudum etiam conqueſti ſunt Antiquarii, *Pictores plus operæ* (verba *Anton. Auguſtin. dial. 1.*) *ſtudiiq; in delineando egregiè quàm ſumma fide repræſentando poſuiſſe*, & fugitivo tantum oculo, minores imprimis Nummos, intuitos, maxime notabilia, & ad hiſtoriam imprimis facientia, omiſiſſe. Præterea plurimi, Imperatoris alicujus Nummos exhibituri, averſas omnes partes, quas habere poſſunt, depingunt, Imperatoris tamen effigiem cum litteris appoſitis non niſi ſemel atque iterum, cum tamen, ſi accurati eſſe vellent, toties anticam cum Imp. imagine, quoties poſticam, pingere deberent, non alias patente omni illo, quod Hiſtorici, & Chronologi imprimis, intereſt ſcire: laudandâ tanto magis *Occonis* noſtri induſtria, qui, quamvis icones ipſorum Nummorum non dederit, inſcriptiones tamen, auticæ non minus quam poſticæ faciei, curiosè annotavit.

Jam igitur optarem, ut Vos, Nobiliſsimi Juvenes, ad amplisſimam quoque aliquam Nummariam gazam deducere, vobiſcum luſtrare omnia minima maxima poſſem, ut tanto facilius, juncta induſtria, errores omnes cavere liceret. Sunt autem iſtæ in Palatiis Regum Principumque, certè in hoc Germaniæ angulo privatorum in domibus raræ. Amabat, dum viveret, hoc ſtudium quidem in cætera eruditionis magnitudine HERMANNUS

CON-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1:7.93/1

CONRINGIUS, & nè quid ignoraret antiquitatis, huc quoque vastum ingenium contulerat, non contemnenda rariorum Nummorum congerie, & Imperatoriorum egregia serie amplissimo filio, ὁμωνύμῳ, relicta. Nunc Ego penè solus hîc, sine rivali, Veteris Nummariæ rei amore teneor. Imo vix est, quod sciam, in his Serenissimorum nostrorum Principum ditionibus, qui eo valde delectetur studio, si exceperis summe reverendum Virum Dn. GERHARDUM, Monasterii Loccumensis Abbatem, qui & collegit rariores nummos plures, & gravissima sua sacra negotia illorum contemplatione interdum distinguit, & interpolat. Nec tamen prædicare quicquam de meis audeo, quamvis comparaverim mihi, aut amicorum liberalitate possideam plus quam mille, & inter illos rariores nonnullos, Imperatorios æreos argenteosque plurimos, habeamq; etiam, ut rotundo *Martialis* versu dicam, *de moneta Cæsaris decem flavos*. Non invideo quidem illis, qui Gazas ex usualibus aureis argenteisq; nummis construunt, & suo eos abundare sensu libenter permitto, me tamen rariores illi delectant magis, inque antiquis & artificium miror, & historiam ex figuris illorum & verbis appositis illustro, adeoque vel æreum illius commatis aurea massa contra cariorem habeo. Dudum enim ex *Galeno* didici, *Idiotam quidem à materiæ pulcritudine, artificem vero ab arte ipsa percelli.* Et nescio quidem, an peculiari aliquo fato Medici nos Veteris Nummariæ rei studio teneamur, ita magnus eorum numerus est, qui deliciis ejus innutriti, commentariis quoq; de ea doctissimis inclaruerunt quos enumerat celeberrimus CHRISTOPHORUS ARNOLDI, eruditi orbis, & amicitiæ nostræ decus, in illa epistola, quam Rariis Magnæ Græciæ Numismatibus, à *Prospero Parisio* editis, &, nobilissimo Norimbergensium Archiatro *D. Volchamero* curante recusis, nuperrimè præfixit. Est aliàs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

Regum, Principumque, & Illuſtrium virorum id ſtudium, qui illas Veteris ævi reliquias & in proprios uſus congerunt, & in publicos magis, ut utilitas ad plures redundet; pretiumque illi primum in Italia, ex quâ omnis eruditio ad nos defluxit, dein in aliis quoque Europæ regionibus poni cæpit, & hodie Galliarum Rex LUDOVICUS, ut ubique incomparabilis ſit, Nummorum quoque Veterum Theſaurum ſine exemplo congeri jubet, aliique Reges, & Germaniæ Principes, & hos inter noſtri quoq; Sereniſſimi Duces, ab illis elegantiis non ſunt alieni. Æmulantur autem privati, quantum per fortunas licet. Interim non poſſum non iraſci, quoties id in *Bibliotheca Hiſpaniæ* memoratum *ab Andrea Schotto* lego, inſulſo illi Pharmacopæo, *Andreæ Straneo*, qui fratris ſui Germani, *Iohannis Andreæ*, teſtamento hæres factus, cum ab illo, exquiſitæ in Theologia pariter & litteris eruditionis viro, magnis ſumptibus inveſtigata, & multis laboribus conquiſita Numiſmata Romanorum Imperatorum, aliorumque, accepiſſet, ex hac, tanquam inutili ſupellectile in officinæ ſuæ uſum mortarium conflari fecit. O dignum hellebori jugero, & ad Anticyras ablegandum hominem! O dignum, quod illo in mortario piſtillis contunderetur, caput! Sapiamus vero, Nos, Optimi juvenes, & ſtudium illud, quod Reges ſummi, Principesque non fovent tantum, ſed amant, & ſuis dignum putant remiſſionibus, juſto æſtimemus pretio. Ego quidem certam ſpem ingredior, hanc Hiſtoriæ Romanæ ex Nummis explicationem ita vobis fore gratam acceptamque, ut intuitu paucorum illorum, quos mea Arcula poſſidet, deſiderium venuſtiſſimi ſtudii in vobis excitetur, in ditioribus Europæ partibus, & in Regum Principumque aulis aliquando ſatiandum. Valete, & cæptis meis favete. P. P. in Acad. Julia x. Calend. Octobr. CIↃ IↃC LXXXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1

Ad Arculam ſuam *Nummorum Imperatoriorum Veterum.*

ARcula, quæ parvo ſpatio complecteris Orbem,
Terrarumque mihi ſiſtis ad ora Deos.
Arcula, quæ Romam de muto farier Ære,
Divitiasque ſuas exhibuiſſe doces:
Ut ſacra AUGUSTI facies mea lumina paſcat,
Et caſta AUGUSTÆ flamma, piusq; decor.
Salvete Heroes, genus inſuperabile bello,
Eoi ſolis terror, & occidui.
Veſtra ego bella hic, & Veſtros agnoſco Trium-
Invictisq; armis Regna ſubacta lego. (phos,
Veſtra ego, Pacis opus, cerno Amphitheatra, & arenas,
Thermasque, & cœlo proxima Templa ſuo.

Vos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CEMAGL 1.7.93/1

Vos ego in Ære colo, flavo vos miror in Auro,
Veſter in Argenti lumine ſplendet honor.
Sunt pauci numero Nummi, nec poſtulo cunctos.
Unum opto loculis nocte dieque meis:
Quem CONSTANTINI cudat LEOPOLDUS
in Urbe,
Ludibrium & pœnam, Turca tyranne, tibi.

H. Meibomius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1

ILLVSTRISSIMO

COMITI AC DOMINO

DN. HENRICO

XIII. Sen. Lin. Reuß/

Comiti ac Domino de Plawen/ Domino in Graitz/ Cranichfeldt/ Gera/ Schlaitz/ Lobenstein &c.

Domino Suo Gratioso

ex Academia Julia discedenti

Libellum hunc

humillimæ devotionis testandæ causa

Sacrum esse voluit

HENRICUS MEIBOMIUS.

ANnus jam quartus integrè finitus est, ex quo Serenissimus Princeps ac Dominus, Dn. RVDOLPHVS AVGVSTVS, Dominus meus Clementissimus, Te, ILLVSTRISSIME

)*(SIME

SIME COMES AC DOMINE, primam ætatem, anno undecimo vix inchoato, in hac Academia Julia transigere, & in mea quidem domo educari, in spem celsi generis & gloriam majorum, clementissime voluit. Exultavit tota Academia tanto Hospite, eò magis, postquam in tenera ætate uberes magnæ indolis igniculos exilire sensit, qui maximam aliquando lucem, certissimo omine, præsagirent. Nihil in moribus, & omni vitæ actu puerile, nihil exorbitans, nihil inconstans, nec juvenile quidem, sed, contra annorum genium, omnia virilia, & constantia, & prudentiæ senilis quasi quædam maturitas. Fallor? an in magna, & recti exempli Aula Guelphica, inter pietatis & decentis moris quotidiana exempla, ab infantia educatus, non potuisti Te alium exhibere Academiæ. Mirati sunt ardorem discendi insolitum Cives nostri, indefessum laborem, tractas in societatem diei & impensas studiis noctes: excitati sunt genere & ingenio præstantes quique magno exemplo, & sequi voluerunt, quamvis non passibus æquis, *medio fatigati in cursu. Est enim aliquid in magnæ indolis exemplis, quod imitari non licet; laudare, suspicere, mirari, & venerari par est. Nihil dicam*

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1

de nobilibus corporis exercitiis : nihil de Graphic. arte , quibus ſubciſivas horas occupari voluiſti Nihil de Gallico ſermone , quem tanta facilitat dexteritateq; didiciſſe obſervavimus , ut ignoraſſe aliquando non meminiſſemus. Ad Hiſtoriam , excelſo faſtigio dignum imprimis ſtudium , tanto magis propero, quanto illa familiarior eſt mihi. Quod ſi medii recentisq; ævi Hiſtorias omnes cum cura Tibi lectas, Terrarum & Locorum Deſcriptiones accuratè expenſas , ſucceßiones in Principatibus, Genealogias Illuſtrium omnes obſervatas dixero, nihil prater verum dixero : Quod ſi vero hac omnia divinißima memoria ita retenta , ut promptisſimè, quavis occaſione , cum accuratißima annorum , hominum , & locorum mentione reddi potuerint , addidero, id eſt, quod nos toties mirati ſumus , quodq; apud alios , à nobis narratum , vix fidem inveniet. Et, quî poterat aliter fieri , cum excellenti ingenio , & felicißimæ memoriæ conſtantißima accederet induſtria & indefeſſus labor ? Quoties ego vel veterem Hiſtoriam Cæſarum Romanorum ex Nummis , certiore & nobiliore modo , explicarem , vel Hungariæ , in qua ſola quaſi hodie belli theatrum eſt , priſcam , mediam , & recentem fa-

ciem, aut Germanici tricennalis belli varios eventus exponerem, nullum minus fatigatum aut certiorem auditorem habui: addo etiam, magis proficientem. Domi enim dein omnia annotata, historici ipsi inspecti, libri eorum cum cura relecti, &, quod præfiscini dixerim, propria observatione aucti & correcti. Uti igitur tanto Auditore, & per integrum quadriennium celso Hospite, plurimum gavisus sum, ita, dum vixero, jucundissima mihi erit illius temporis memoria, inter perpetuam magnarum virtutum & rarissimæ doctrinæ recordationem. Cujus quidem animi mei publicum testem hunc libellum Historicum esse volui, cui hoc ipso tempore ultimam manum imposui. Reliquisti, ILLUSTRISSIME DOMINE, in tòta hac Academia tot Tuæ Virtutis monumenta, ut illius, licet aliorsum translatæ, oblivisci possit nunquam: meo vero animo tanto magis manebunt impressa omnia, quanto fortius inhærent domestica & quotidiana. Votum igitur addo etiam, ILLUSTRISSIME DOMINE. Servet Te DEUS, ut ubivis terrarum porro floreas, nec tenerum hactenus corpus, magni spiritus elegans domicilium, ullam labem sentiat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

ſentiat, & ita omnibus Tuo faſtigio dignis virtutibus augearis, ut non tantum Illuſtriſſima REVSSIA Domus, majoribus etiam titulis Annalibus cognita, Te ſuæ Gentis decore diutiſſimè lætetur, ſed & Sereniſſimus Dux RVDOLPHVS AVGVSTVS ſuæ Paternæ curæ fructum uberrimum capiat, nosq; omnes clientes vota noſtra impleta eſſe gaudeamus! Dabam Helmæſtadi in Academia Julia. X. M. Decembris A. CIↃ IↃC LXXXVI.

 HEN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

HENRICVS MEIBOMIVS

Lectori S.

DEcreveram menſibus proximis hybernis SAXONIÆ & SAXONUM Hiſtoriam Auditoribus meis plenius tradere, interdum quidem, & inter initia imprimis, ad omnem Saxoniam me diffuſurus, majori tamen deinde diligentia uſurus in iis, quæ ad Saxoniam hanc Inferiorem, Sereniſſimorumque Ducum noſtrorum Provincias pertinent; quanto magis Patriæ hiſtoriæ nihil ignorari, publicè intereſt. Ideoque hanc Introductionem, προπαιδείας gratia, in eorum commodum publicis typis exſcribi feci. In qua, non quidem in illis, quæ curioſitatis plus, utilitatis minus habent, multum occupari volui, unde ſcilicet Saxonum nomen, quæ priſcæ eorum ſedes, & an aliunde in Germaniam venerint? Cum tamen aliis terminis vetus Saxonia fuerit comprehenſa, deinde vero colonias ſuas in vicinas terras, ut Henetorum, traduxerint, quædam vero deinde provinciæ revera Saxonicæ, ut Weſtphalia, vetus nomen amiſerint, & denique, quamvis longiſſimè Saxonum linguâ ad plures gentes deductâ, per novam tamen Decem in Germania Circulorum A. 1512. in Comitiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

Comitiis Colonienſibus inſtitutionem, Saxonicus Superior & Inferior Circuli ſint determinati, novosque limites Saxonia acceperit, res utique illa non prætereunda mihi, ſed à prima origine explicanda fuit. Deinde Saxonicæ Hiſtoriæ generalem quandam delineationem juxta temporum ſeriem feci, non Pragmaticæ tantum, quâ Civilis, quâ Sacræ, ſed etiam Topographicæ, & Genealogicæ: ubique vero eos Scriptores, qui vel extant, vel adhuc MSti latent, indicavi, ex quibus plenior peti notitia à curioſis poſſet, ſimulque de iis, ubi opus, judicium meum interpoſui, ne vel plus, vel minus, quam par erat, fidei invenirent. Equidem, quamcunque quis ſive ſcientiam, ſive artem addiſcere velit, non parum juvat, ſi prius noſcat illos Auctores, qui eam quam optimè excoluerint, publicisque ſcriptis tradiderint. At in Hiſtoriarum notitia acquirenda hujus de Scriptoribus cognitionis non utilitas aliqua eſt, ſed ſumma neceſſitas, cum à narrantibus ipſius hiſtoriæ narratæ veritas dependeat, ideoq; ſcire in anteceſſum oporteat, an is, qui ſcripſit, potuerit & voluerit res illas verè & plenè & debitis cum circumſtantiis narrare. Potuerit? id eſt, an σύγχρονος fuerit, aut etiam in quibusdam αὐλόπλης, & omnia accuratè obſervandi dexteritate, & apud alios, quæ acta, inquirendi, induſtria valuerit, & ad rei peritos, & ad archiva, verasque conſignationes aditum habuerit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

buerit, & prudentia quoque discernendi incerta à certis, rerumq; civilium notitia non destitutus fuerit. Voluerit quoque? scilicet, ut procul amore, procul odio, nihil falsi dicere ausus, nihil veri non ausus fuerit. Et quæ sunt ejusmodi alia. De Saxoniæ igitur Historicis in genere etiam ista præmittere volui, in specie dein ostensurus, ubi vel non potuerint sufficienter & plenè omnia narrare (qui defectus nimis frequens est, quamdiu in claustris Annales condiderunt) vel non voluerint, & multa præter veri fidem odio partium tradiderint, quod quam maximè observare licet in iis, qui, durante inter Regnum & Sacerdotium discordia, scripserunt. Indicem aliquem rerum tam parvo libello, qui facile totus evolvi potest, & in quo pleraque juxta annorum seriem enarrantur, adjungere, non credidi esse operæ pretium: Auctorum tamen, qui in tam parvo libello plusculi, & non nudè citantur, sed vel de iis judicatur, vel examinantur, illustranturque, vel corriguntur, Syllabum aliquem ut adderem, ex usu publico esse judicavi. Vale, Lector benevole,

& Rerum Germanicarum, Saxonicarumque Tomos Tres proximè à me exspecta.

SYLLA-

Early European Books. Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

SYLLABVS AVCTORVM

Qui in hoc libello citantur, illustrantur, vel refutantur.

A.

Acta eruditorum Lipsiensia. 68.
Adamus Bremensis. 8. 16. 30. 33. 50. 51. 52. 61. 70. 71. 72. 73. 77. 90.
Agathias. 20.
Agricola. 105.
Aimoinus. 8. 11. 14.
Albertus Stadensis. 63. 71. 72. 99. 100.
Albinus. 55. 104. 106. 111.
Alvenslebius. 57.
Ammianus Marcellinus. 5. 6. 7.
Andreas presbyter. 36.
Arnoldus Lubecensis. 37. 38. 40. 41. 42. 82. 84. 87. 98.
Auctor anonymus Annalium de gestis Caroli M. 12. 13. 22. 24. 60.
Francicorum Nuenarii. 12. 15. 51. 52. 53. 54. 63. 77. 90. 91.
Fuldensium. 17. 18.
Apologiæ Hamburgensis. 62.
Chronici Belgici Magni. 102.
Rythmici. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

Mindenſis. 101. 103.
Montis-Sereni. 100.
Piſtoriani. 103.
Saxonici. 104.
Hiſtoriæ Archiepiſcoporum Bremenſium 67.
de Landgraviis Thuringiæ. 9.
Pacis Weſtphalicæ. 110.
Præfationis in librũ Saxonicum antiquum 67.
de Saxonico bello. 98.
Scholiorum in Adamum Bremenſem. 51. 54. 70.
Vitæ Caroli M. Pythæi. 12.
Henrici IV. 95. 96.
Ludovici Pii. 23.
Meinwerci. 60. 69.

B.

Baluzius. 26.
Bangertus. 64. 83.
Baronius. 96. 97.
Barthius. 108.
Benedictus Levita. 28.
Berswordius. MS. 111.
Beſſelius. 90.
Beſſelmejerus. 107.
Bœclerus. 93. 99.
Bollandus. 68. 69.
Brachelius. 110.
Brotruffius. 9. 111.
Browerus. 69.
Bruno. 95.
Budæus. 109.

C.

Caraffa. 110.
Calixtus. 75.

Camde-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

Camdenus. 6.
Capitularia Caroli M. 12. 23. 24. 27. 78.
Francorum. 7. 28.
Casaubonus. 51. 90.
Centuriatores Magdeburgenses. 73.
Chemnitius. 110.
Chytræus. 54. 61. 73. 106. 107. 111.
Claudianus. 6. 18.
Cleinsorgii Chronicon Ecclesiasticum MS. 73.
Cluverus. 4. 7. 50. 52. 54.
Cointius. 20.
Conradus à Lichtenavv Abbas Ursspergensis. 9. 99.
Conringius. 9. 13. 22. 23. 27. 31. 77. 80. 81. 83. 87.
Cornerus. 101. 105.
Crantzius. 17. 20. 29. 39. 61. 62. 72. 73. 104. 105.
Cromerus. 29.
Crusius. 87.
Cuspinianus. 97. 99.
Cypræus. 38. 84.

D.

Dalechampius. 53.
Danckwert. 54. 55. 85.
Dietericus. 94.
Dio. 52.
Diplomata. Bremense. 59.
Caroli M. Osnabrugense. 20. 21. 24.
Trutmanno Comiti datum. 25. 26.
Verdense. 22. 53. 54.
Friderici. I. 14. 36. 82. 87.
II. 37. 81. 82. 83.
III. 39.
Henrici IV. 76.
Leonis. 59.
Ludolphi Ducis Saxoniæ. 29.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

Ludovici Pii. 17. 30. 52.
Ottonis M. 31.
Ottonis III. 21.
IV. 36.
Paſcalis II. Papæ. 65.
Dithmarus. 10. 17. 32. 93.
Douſa. 18. 105.
Dreſſerus. 104.

E.

Engelhuſius. 102.
Eginhardus. 7. 9. 10. 15. 16. 22. 28. 64. 77. 89. 90. 91.
Eutropius. 4. 108.

F.

Fabricius. 54. 106.
Ferdinandus Epiſcopus Paderbornenſis & Monaſterienſis. 29. 23. 52. 54. 56. 61. 64. 78. 92.
Feſtus. 60.
Flacius. Illyricus. 73. 99. 100.
Flodoardus. 16. 71.
Frechtus. 97.
Freherus. 58. 59. 64. 90. 91. 100.
Freſneus. 60.

G.

Gerhardus Stederburgenſis. 98.
Gobelinus. 72. 102.
Goblerus. 106.
Godefridus S. Pantaleonis monachus. 43.
Goldaſtus. 95. 98.
Gregorii Decretales. 77.
Gregorius Turonenſis. 7.
Grotius. 4.
Gryphiander. 23. 83. 87.
Gualdo. 70.
Guntheri Ligarinus. 14. 16. 31.

Hamel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze
CFMAGL 1.7.93/1

H.

Hamelmannus. 74. 111.
Hartknoch. 40.
Henſchenius. 68. 69.
Helmoldus. 17. 33. 34. 35. 39. 51. 54. 65. 70. 71. 80. 88. 98.
Hermannus Comes Nuenarius. 89. 90. 91.
Hermannus Saxonum ſcriptor. 105.
Heroldus. 79.
Hieronymus. 5.
Hofmannus. 21. 112.
Hoppenrodius. 111.
Hortlederus. 106. 107.

I.

Inſtitutiones Juris Civilis. 19.
Inſtrumentum Pacis. 49. 110.
Johannes Aventinus. 35. 97.
Irenicus. 105.
Julianus Imp. 5.
Juſtini Lippi florium. 102.

K.

Knipſchildius. 61.

L.

Lambecius. 27. 30. 42. 52. 62. 63. 64. 70. 80. 87.
Lambertus. Schafnaburgenſis. 63. 95.
Langhornius. 6.
Lange. V. Longus.
Langius (Paulus) 45. 52. 104.
Latinus Pacatus. 6. 19.
Lazius. 91.
Leerbeke. 42. 101. 103.
Letznerus. 109.
Leges Saxonum. 12. 74. 88.
Wiſigothorum. 27.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

Limnæus. 61.
Lindenbrogius (*Erpoldus*) 17. 30. 59.
Lindenbrogius (*Fridericus*) 12. 28. 77.
Loccenius 110.
Longus Poetaſter. 10. 12. 15. 102.
Lotichius. 110.

M.

Mabillonius. 20.
Maderus. 71. 92. 101. 102.
Magliabechus. 91.
Marſcalcus Thurius. 105.
Mævius. 26.
Meibomius (*Henricus*) 10. 26. 29. 38. 76. 58. 63. 66. 86. 92. 93. 98. 108.
Meibomius (*Joh. Henricus*) 10. 102.
Mejerus. 55.
Meletius. 65.
Melanchton. 93.
Mellen. 64.
Merianus. 50. 55.
Mithoſius. 42.
Mollerus MS. 26.
Munſterus. 99.

N.

Notitia Imperii. 7.

O.

Olearius. 61.
Oroſius. 5.
Otbertus. 95.
Ortwinus Gratius. 97.
Oudinus. 100.
Overham. 69.

P.

Papæbrochius. 20. 68. 69.
Paullus Diaconus. 11.

Peccen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

Peccenſteinius. 111.
Peucerus. 99.
Pii V. Pont. Epiſtolæ. 75.
Pircheimerus. 54.
Pontanus. 42. 85.
Procopius. 8. 9.
Ptolemæus. 3. 54.
Puffendorfius. 110.

R.

Rhætius. 80.
Regino. 16. 22.
Reidanus. 107.
Reineccius. 12. 13. 23. 86. 92. 93. 97. 100. 108.
Rembertus. 70.
Rosla. 102.
Rosweidus. 69.
Roswitha. 93.

S.

Sagittarius. 9. 109.
Salvianus. 15.
Saxo Grammaticus. 3. 39. 98.
Scaliger. 81. 82.
Schardius. 107.
Schefferus. 51. 52.
Schurtzfleiſch. 109.
Schubartus. 98.
Seringhamus. 3.
Sibrandus 84. 86.
Sidonius. 6. 15. 77.
Sigonius. 12.
Sirmondus. 7.
Sleidanus. 106.
Solinus. 64.
St[illegible]tinus. 105.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.

Spangenbergius. 83. 111.
Spenerus. 111.
Stangefolius. 27.
Stephanus Stephanius. 3.
Strabo. 32.
Symmachus. 6. 19.
Synodus Lifftinenſis. 64.

T.

Tacitus. 3. 51.
Thraciger MS. 54. 61. 62. 83.
Thuanus. 107.
Topographia Ducatus Brunſv. & Lynæb. 55. 56. 65.
Holſatiæ. 54. 55. 56.
Magdeburgenſis MSta. 57.
Saxoniæ Inferioris. 55.
Superioris. 55.
Weſtfaliæ. 55.
Trithemius. 101.
Turſellinus. 99.

V.

Valleſius 15. 56. 60.
Vellejus. 52.
Velſerus. 52.
Vopiſcus. 19. 51.
Voorburgius. 94. 108.
Voſſius. 90. 101.

W.

Warnefridus. V. Paullus Diaconus.
Werdenhagen. 61.
Werymbertus. 91.
Witichindus. 8. 10. 11. 13. 30. 32. 39. 92.

Z.

Zeillerus. 50. 55. 56.
Zoſimus. 4.

564576

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 1.7.93/1.